DE

BARYECOIAE CAUSIS NONNULLA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVI. M. FEBRUARII A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JULIUS PIANKA

BORUSSUS-ORIENTALIS.

Opponentibus:

AUG. STECHERN, med. et chir. Dd.
GUIL. ALBARUS, med. et chir. Dd.
AUG. LEHMANN, med. et chir. Dd.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

GRATUS PIUSQUE FILII ANIMUS.

Priusquam ad expositionem causarum, quibus baryecoia, gravis auditus, obscuritas sonorum, efficiatur, accedamus, non ineptum nobis videtur, brevem mentionem facere de conditione perfectissimi cuiusque organi auditus. Sicut in omnibus sensuum organis, item in illo auditus et conjunctio cum cerebro et cum externis rebus communicatio necessaria est. Quae duplex conditio aliis in animalibus modo alio perficitur. Maxima differentia inter animalia, quae sonos ex aqua et quae ex aëre eos accipiunt est statuenda. Multis experimentis J. Mueller docuit, quomodo in animalibus, quae per aërem vibrationes sonoras accipiunt, lege physica, ut undae ex aëre ad corpora fluida solidaque et vice versa difficilius propagentur, organon auditus compositum esse debuerit. Nervum ipsum sufficere solum ad sonos percipiendos ex constructione organi tam cephalopodum quam crustaceorum videmns. Est modo sacculus liquorem continens cum nervo. Quia vero auris animalium vertebratorum, mammalium, homi-

nis formatio valde est artificialis compositaque, variae quoque causae et in variis partibus productae in conspectum veniunt, quibus propagatio sonorum diminuitur et perceptio prohibetur.

Quas omnes baryecoiae causas jam in duas classes mihi distribuere placet, in causas organicas et dynamicas. Causae dynamicae, mere illae nervosae, in universa hominis constitutione positae, quamquam in oculos non ita cadentes, gravissimae mihi videntur, quia pars organi auditus centralis, nimirum accipiens, qui possit focus auditus dici, laborat. De quibus in prima opusculi parte disseramus.

I. Referendae huc sunt passiones cerebri multiplicis generis, quarum symptomata ex turbata cerebri functione manifestantur, sicut cephalea pertinax, aliorum sensuum torpiditas per tumores in cranio exortos, per extravasata serosa et sanguinea per encephalomalaciam aut duritiem cerebri. Nimiae capitis commotiones, conquassationes cerebri, nec non soni vehementes paralysin nervi acustici adducunt. Permagna mollities nervi ad labyrinthum, ejusdem extensio super partes ossium, quare magis, quam alii nervi conquassationi est expositus, satis declarant, quomodo ictibus minoribus structura nervi acustici alienetur, dum alii nervi adhuc functioni inservire possunt.

In affectionibus spasmodicis saepe surditas observatur, et maximum exemplum nobis epilepsia praebet, quum semper in insultibus epilepticis non modo baryecoia, sed etiam cophosis, sic ut omnium sensuum abolitio comites plus minusve constantes evadant. Neque raro insultus hystericarum et hypochondriacorum inveniuntur baryecoiae causae.

Aliud causarum auditum dynamice laedentium genus eas comprehendit, quae partes afficiunt nexu consensuali cum aure junctas, atque hanc in consensum trahere solent. Helminthiasis et aliae organorum abdominalium affectiones morbosae, ut obstructio, quem effectum in cerebrum ipsum et sic in nervos exeuntes praebeant, notum est omnibus; nec minorem in nervum ad organon auditus currentem vim perturbationis exhibent. Etenim radices acustici nervi, una cum radicibus vagi e quarto cerebri ventriculo ortae, sunt sibi viciniores atque fere cohaerere solent. Quem abdominis cum aure nexum consensualem jam novit Hippocrates (1), »quibus, dicens, biliosae sunt dejectiones, hae aborta surditate cessant, et quibus adest surditas, his exortis biliosis dejectionibus finitur.»

Laesiones nervorum, cum nervo sensitivo puro acustico anastomosi conjunctorum, gravem interdum

---

(1) Aph. 28. Sect. 4.

auditui inferunt labem. Summa inter hoc baryecoiae genus eamque, quae nonnunquam vulnera superciliorum insequitur, amaurosin intercedit similitudo. Nervus facialis, portio dura ab anatomicis veteribus nominata unius paris, alteraque portio mollis, nervus acusticus ipse, et similem cursum tenent et simul in meatum auditorium internum intrant et anastomosi cohaerent, sicut paralysis unius saepe eandem affectionem alterius provocet. Insectionem nervi facialis aut laesionibus externis, aut operationibus tumorum regione currentis hujus nervi crescentium institutis, equidem in clinicis chirurgicis auditus abolitionem secum tulisse vidi.

Paralysis nervi auditorii oritur porro ab nimia sanguinis accumulatione, qua nervus justo magis comprimitur. Quae varietas baryecoiae praecipue in individuis plethoricis ex causis omnibus producitur, quae sanguinem versus cerebrum dirigunt. Plerumque haec surditas occurrit in hominibus junioribus, saepe in haemorrhoicis nec non in feminis annis climactericis, et insequitur solitos sanguinis fluxus suppressos vel subsistentes. Verum etiam refluxus sanguinis e capite tumoribus glandulae parotidis, faciei erysipelate impediri potest, sic ut auditus laesi sub sternutatione, clamore intensiore, parturitionis nisu, exempla haud raro feruntur. Uti plethora, sic exinanitio sanguinis auditum tur-

batum et diminutum profert. Sic haemorrhagiae, onania, nimia lactis secretio et fluxus mensium immensus, dissolutiones sanguinis, chlorosis ansam praebent non parvam et nervi auditorii et cerebri ipsius, sensorii, atrophici reddendi; nam apparatui sensibili auris irritamentum detrahitur necessarium. Huc pertinet baryecoia senum ex paralysi ab Itardo(1) dicta essentiali nervi acustici, quae quidem in omnibus aetatibus, vulgo autem apud homines plus jam quam quadraginta annos natos ob imminutam vasorum actionem exsistere solet.

Saepenumero quoque auris praedispositione ad surditatem hereditaria laborat. Quando nullam aliam causam in destructione organica, neque materiale quidquam invenimus, quo genesin vitii explicemus et tenebras dispellamus, haec res nequaquam negari potest. Exempla docent, liberos eodem aetatis anno, quo pater aut mater olim eodem vitio laboraverant, baryecoia affectos esse. Ac frequentia aurium tarditatis in regionibus quibusdam, et ad auditus hebetudinem proclivitas certam quandam hujus morbi existere praedispositionem manifesto probant. At haec ipsa quomodo propagetur, ignoratio ansa exsistit causam dynamicam in sola partium atonia ponendi.

---

(1) lic. 4. pag. 410.

Nunc transeamus ad causas pariter dynamicas, quibus auditus diminuitur in morbis et acutis et chronicis, ubi baryecoia nascitur sympathica, symptomatica, critica, per metastasin, diathesin quam vocant. Omnia haec baryecoiae genera absque affectione, destructione et impedimento partium auris sonos ducentium et excipientium incedunt, quod, si vitium organicum adest, in nulla ratione cum baryecoia versatur. Quod ad morbos hos acutos et chronicos pertinet, plerumque sunt biliosi, exanthematici, intermittentes, typhus, arthritis, quando materia morbosa, vel ob vim vitae debilem per colatoria evacuari nequiens, in vasa acustica impellitur, vel critica perturbatione metastasis in nervum accidit, qua maior minorve paralysis inducitur. Verum non in decremento vel crisi modo, sed etiam in vigore morborum baryecoia subvenit. Icteri simplicis saepius in instituto clinico, in quo Ill. Schoenlein docet, jam initio morbi comitem surditatem vidimus, quae, quamdiu icterus floruit, perduravit, ictero praeterito statim desiit. Quid igitur mirum, si excretio ceruminis eandem materiam biliosam, quam in vesicula fellea ipsa analysi chemica invenimus, prae se fert, ita ut Sprengel (1) intimum inter bilis et ceruminis secretionem connexum ad-

(1) Institut. pathol. II. pag. 401.

esse credat, ideoque bilem quantitate et qualitate mutatam multos aurium atque auditus morbos procreare proponat. An non in ictero simplici alia insuper symptomata laxitatis sensuum et irritabilitatis sensibilitatisque diminutae in conspectum veniunt? Si modo in actionem cordis et vasorum animum advertimus, quam minuta frequentia pulsus. Non plus quadraginta ictibus apud homines ante morbum robustos et constitutione arteriosa! Facile apud homines morbo icteri frequenter laborantes baryecoia perpetua remanere solet. — Ex morbis acutis exanthematicis saepius post scarlatinam et variolam metastasis ad aurem oritur. Stadio potissimum exsiccationis aër frigidus corpori admotus, diaeta neglecta, sine ulla affectione pathologica surditatem affert. Jam in decursu exanthematum, praecipue scarlatinae septicae, torpidae, in clinico pro infantibus, quod sub auspiciis Rombergi per semestre hiemale floret, baryecoiam symptomaticam animadvertimus, quae adhuc in convalescentia pueri longius remansit. Prae ceteris morbillorum et rubeolae species maligniores auditui esse in stadio decrementi medicorum practicorum nullus ignorat, quam ob rem aegrotos convalescentes ab omni refrigerio tuendos esse patet. Itard imprimis observationes

---

(1) Lib. IV. pag. 445.

baryecoiae rubeolas insequutae affert. Praecox sanatio aut suppressio exanthematum chronicorum, impetiginum, ut herpetis, scabiei, tineae capitis, per metastasin vitium frequenter adducunt. Liceat, quod spectat ad scabiem, ipsa verba Itardi e libro de morbis auditus afferre: „Man hat Beispiele von Taubheit, inquit auctor, die durch das plötzliche Verschwinden der Krätze verursacht worden war. Man wird ohne Zweifel finden, dass die wahre Aetiologie dieser durch die Gegenwart kleiner Thiere in der Haut verursachten Krankheit die Annahme einer wahren Metastase schwerlich gestattet. Aber die unstreitigen Verheerungen, die eben diese Krankheit im Innern macht, wenn sie entweder vernachlässigt, oder zu rasch geheilt worden, sind nichts desto weniger in der Praxis erwiesen, obgleich durch den Verstand unerklärlich, als die durch das Verschwinden dieser Hautkrankheit verursachte Taubheit.« Postea dicit: »die verschiedenen Kopfausschläge der Kinder werden durch ihr Verschwinden eine sehr häufige Ursache der Taubheit.“ Exempla consignata dicta probant.

Gravioris momenti est baryecoia in morbis typhosis metastatica, anomala crisi repente orta, saepe vix sanabilis; quod vitium nervosa debilitate permagna illatum non solum in convalescentiam protrahitur, sed etiam longum post tempus omnibus

institutis tentaminibus non cedit. Omnino surditatem febrilem, i. e. abolitionem auditus morbos febriles modo comitantem et febri finita etiam desinentem, dividere possumus in symptomaticam et criticam. Illa in stadio cruditatis, si cum pravis symptomatibus advenit, nil boni portendit, namque tum signum magni raptus ad cerebrum esse solet. Surditatem, quae crisin instantem significat, ex aliis coctionis signis provenientibus dijudicare possumus. Secundum Hippocratem (1) praesagit modo haemorrhagiam ex naribus criticam. — In intermittentibus e contrario atque in acutis febribus res se habet, namque surditas, quae in accessionibus intermittentium accedit, his finitis non plane desinit, sed perdurat neque est sanabilis. —

Historiam surditatis sane mirabilem in homine quodam cognovi ex libro Itardi (2), quippe surditas cum arthritide alternabat, hac scilicet invadente pedesque occupante illa est sublata, sic ut perfecte audiret; paroxysmo autem arthritico finito pristina surditas rursus regressa est.

Restat adhuc non infrequens causa baryecoiae dynamica, si cutis functio per refrigerium corpori universo aut capiti aut auri admissum, per lotionem

(1) Aph. 4. 60.
(2) pag. 447.

vel immersionem capitis in aquam frigidam turbatur. Quae varietas baryecoiae plerumque affectione rheumatica harum praecipue partium, quae in auris vicinitate versantur, incedit. Rheumatismum in nervos maximam exhibere vim ex passionibus cerebri, nervorum, dolore vehementi, ex paralysi, plegia aliisque neurosibus refrigerio productis elucet.

II. Inter causas baryecoiae organicas jam eas numeramus, quibus organa auditus, vibrationes aëris admotas excipere iisque transitum liberum patefacere, invalida fiant. Impedimento quodam, quominus vibramina illa rite procedant, auris in muneribus suis obeundis praepeditur, deficiente aliqua parte ductus vibrationum ad intimum locum excipientem prohibentur, destructione et exulceratione partium mollium et ossearum totum organon deletur. Jam naturam interdum, ut in aliarum corporis partium structura, sic in hac perturbationis functionum ingenitae accusare debemus, nam saepe vitia meatus auditorii externi innata inveniuntur. Meatus auditorius externus tum evolutione retardata prorsus deficit (1), tum ossei parietes et maxima parte sibi appropinquant et omnino coalescunt. Valsalva (2) monet: »pro meatus auditorii coronide

---

(1) Conf. Saissy in Dict. d. sc. med. T. 38. p. 29.
(2) Valsalva d. aur. hum. tract. pag. 10.

sciendum esse iu foetu atque etiam in infante recenter nato meatus parietes maxime circa concham invicem ita accedere, ut meatus principium fere ex toto claudatur.« Quae quidem structura pro vita foetali et infantis normalis, ut aliae imperforationes palpebrarum, oris, ani etc., post partum atque per totam vitam remanere potest. Verum non solum deformationes periodo vitae embryi normales, sed etiam depravationes formationis in conspectum veniunt; nonnunquam adest quidem meatus auditorius externus, sed saccum coecum format, aut alia quadam membrana obtegitur. Quae evolutio imperfecta cum aliis vitiis congenitis juncta esse solet. Huc quoque pertinet status ille ab initio vitae hominis, ubi non raro pseudomembrana membranam tympani obtegit, quae in neonatis albuminosa posterius incrassata, organisata, sonos ad auditum internum penetrare non sinit.

Majora et multifaria vitia morbus, partes organon auditus constituentes arripiens, relinquit, quae ab externo meatu ad internos persequamur. E partium, quae machinam auris componunt, levissimam inter omnes auditui infert noxam auriculae externae laesio, interdum etiam primae formationis defectio, nec minus vero per vulnus et ulcera destructio. Atresiae meatus similem effectum similique modo obturationes meatus auditorii externi

peregrinis corporibus et animatis et inanimatis inducunt. Insecta et vermes, ubi in aurem irrepserunt, praeter tinnitum, anxietatem, dolores acerbos et inflammationem et alia, quae producunt, etiam quando longius permanent, auditum hebetiorem reddunt, quamquam cerumine perierunt. Peregrina corpora inanimata atque accumulatum cerumen spissum sine doloribus, modo cum sensatione pressionis plenitudinisque in aure, auditum longius remanentia ita hebetant, ut eis exemtis nervus, per longum tempus radiis sonoris occlusus, sensim sensimque sonorum stimulo evigilet. Cujusmodi exemplum ipse ante mensem in juvene quodam paupero vidi. Juvenis jam viginti annos natus baryecoiam auris sinistrae ab anno decimo repente exortam querebatur, quum condiscipulus partem lapidis fissilis lascive in meatum auditorium externum intruserit. Parentes de hac re non fecit certiores, et nescio qua causa omnino celavit; de quo ne multa, postquam vero hoc corpus per decem annos in aure jacebat, mecum communicavit. Specillum in meatum induxi eumque breviorem dextro inveni. Corpus aliud aute membranam tympani jacere mihi erat persuasum, quod magno tandem opere circumire potui et sic massam magnitudine fabarum extrahere, quae interne nucleum substantiae illius lapidis ostendit, externe vero cerumine indurato cir-

cumdata erat. Tamen auditus eodem atque antea modo erat turbatus, tympanum vero ab omni vitio liberum. Ante nonnullos dies idem juvenis fortuito mihi occurrit verbisque me allocutus est, auditum in aure sinistra sensim sensimque rediisse, ita ut nunc in statum integrum restitutus sit. Saepissime in policlinica, quae frequentavi, homines advenerunt, magnam surditatem accusantes. Auriscalpo immisso inspissati ceruminis magna copia extracta est, unde, quaenam exstiterit causa surditatis, illico patuit.

Sicuti in omnibus corporis cavitatibus membrana mucosa vestitis, ita in meatu auditorio externo morbo catarrhali productae pseudoorganisationes, polypi, procrescunt, quae aut minores vibramina aëris in membranam tympani vergentis frangunt, itaque hebetiora reddunt, aut majores totum implent meatum et communicationem auris internae cum aëre externo tollunt. Oriuntur hae productiones morbosae aut in anteriore meatus auditorii parte ab ambitu ejusdem, quarum exstirpatio difficultates haud magnas offert, aut in fundo ab membrana tympani ipsa, quae jam difficilius eripiuntur. Saepe degenerationem membranae meatum investientis fungosam subsequuntur, nec singuli, sed multi polypi coacervati sunt, quorum prognosis de cura radicali est pessima, nam facile renascuntur.

Organi auditus partes protinus sequentes in ipsa tympani membrana vitia invenimus, quibus causam baryecoiae dijudicemus. Qua de condensata et pseudomembrana obtecta jam diximus. Sed huc referenda est laesa membranae continuitas vel mechanica, si instrumentis, vehementi sonitu et aliis causis disrumpitur, vel organica ratione. Neque tamen non exstant varii casus, ubi hac membrana perforata illaesus supererat auditus; immo natura et ars saepe perforatione auditui difficili ex aliis causis orto succurrere videtur. Remanet enim tympanum secundarium, quod fenestrae rotundae praetensum est, ad motus vibratorios perficiendos, quo tympano etiam sono via ad labyrinthum patet. Membranam fenestrae rotundae solam deficientis tympani munus explevisse Scarpa verisimillimum reddit. Magis tympani laxitas et cohibita irritabilitas, ex atonia generali inducta, aut ex locali, otorrhoeis, auditus laesionem protrahere videtur. Vibrationes aëris laxa membrana hebetiores factae in tympanum illud secundarium intensitate invadere nequeunt. Similis effectus, sed varia ratione tympano nimis elastico rigido, tenso, perficitur. Vibrationes perturbatae susurrum quidem et tinnitum provocant, nec vero regulares ossiculorum motiones neque tympani secundarii, itaque clangorem confusum excitant. J. Müller libro V. physiologiae

pag. 131. dicit: «eine kleine stark gespannte Membran leitet den Schall schwächer als im schlaffen Zustande.» In eodem loco demonstratur, quomodo tensio tympani major producatur et surditas momentanea oriatur, singula igitur afferri non opus est.

Jam vero ad internas auditus organi, quae ab externis ope tympani discernuntur, partes transeamus et vitia earum, quod attinet ad baryecoiam producendam, perscrutemur. Posterius et superius patent a cavitate tympani aditus minores ad cellulas mastoideas, in processu illo ab osse petroso descendente mastoideo, quas cellulas veluti appendices tympani úsui non mediocri esse in auditu promovendo inde patet, quod omnia corpora labyrintho vicinia resonant et sonos augent. Animalia, quae acute audiunt, ut aves, alia antra in ossibus cranii resonabilia habent, quibus cavitas tympani hic illic communicat. Apud pisces, quibus cavitas tympani deficit, labyrinthus cum vesica illa conjunctus est, ut E. Weber reperit, quae ad eundem apparatum aëre impletum, ut cavitas tympani, est referenda. Fluido in cellulis nimis abundanter secreto surditatem omnino oriri posse, facile ad intelligendum est. Eodem modo caries interna ex tunica medullari Blumenbachii, quae cellulas circumdat, resonabilium illorum antrorumfunctionem pervertit.

Per cavitatem tympani duplex est via undarum sonantium ad labyrinthum, una per corpora firma, catenulam ossium acusticorum ad fenestram ovalem; altera per aërem in tympano inclusum ad fenestram rotundam, secundaria membrana tympani obtectam. Qui duplex vibrationum ductus perquam variae rationis effectum, quod spectat ad bene audiendum, maximum praebeat, necesse est. Una alterave quidem via sonis impervia, auditus non tollitur, ambabus vero destructis etiam surditas insequitur. Sic catenula ossium saepe aut natura deformata, aut male articulata reperiebatur in sectione cadaverum, quamquam auditus minime diminutus per vitam fuerat. Neque minus ossibus carie vel exulceratione cum parte tympani deletis, post sanationem morbi cavum afficientis auditus rediit, si modo radios auditorios in membranam secundariam invadere liceret. Aër in cavitate tympani quaque hominis inspiratione mutatus, quia per tubam Eustachii communicatio oris cum cavitate patet, et inspiratione aër externus in cavum tympani penetrat, accipit vibramina tympani et propagat ea ad membranam fenestrae rotundae, quae tum vibrat aquamque labyrinthi irritat. Etsi J. Mueller documentis probat, undas in aëre ortas et ab tympano acceptas facilius a corporibus firmis ad aquam labyrinthi duci, quam ab aëre in cavitate ad mem-

branam secundariam et tum ad aquam, et quamquam ait lib. V. p. 442: »dieselben Luftwellen wirken viel intensiver vom Trommelfell auf die Gehörknöchelchen und das ovale Fenster, als durch die Luft der Trommelhöhle und die Membran des runden Fensters auf das Labyrinthwasser,» tamen mirari debemus, surditatem insequi communicationem cavitatis tympani cum ore etiam parva ratione diminutam, aut accumulationem fluidi in cavo sine tensione membranae tympani, dum catenula ossium integra restet, itaque via altera pro undis pateat. Resonantia obstructione tubae Eustachii sublata, ut Mueller deinceps docet, talem effectum surditatis exhibere mihi non videtur. Equidem puto, ut alii, aërem in cavo tympani inclusum aëri externo inaequalem fieri, naturam elasticam amittere et impedimentum auditui afferre maximum.

Quanti momenti sit ad sensum auditus integrum reddendum structura et indoles tubae Eustachii illaesa, non est ignotum. Non eam ob rem, ut veteres putabant, quod sonorum cum aëre ex ore per membranam secundariam fenestrae rotundae in labyrinthum propagetur, non quod per eandem homo loquens vocis suae sonos distincte percipiat, summi momenti tuba Eustachii in organo auditus viget; sed, ut jam antea diximus, quod per tubam aequilibritas quaedam servetur aëris, quod humo-

res deriventur, qui quidem accumulati surditatem efficerent, quod cavitates resonantes amplificentur. Ex conditionibus longe aliis homines surditate laborantes ore aperto auditum meliorem habent, quam ex ea, quod sonus per tubam penetret. Namque cum oris dilatatione simul quoque meatus auditorius externus dilatatur, quia musculorum actione condylus maxillae inferioris ex articulo aliquid movetur, quo fit, ut meatus auditorius externus et majorem introitum reddat sonis vibrantibus, et majorem copiam eorum excipiat. Neque si sonus per os apertum currens melius auditur, tuba Eustachii sed dentium solummodo ossiumque tremulationibus ad aquam labyrinthi et nervum ipsum propagatur. Quod experimenta virorum clarissimorum manifestant. Obturatione tubae Eustachii pathologice orta, surditas quidem, quod attinet sonos externos, exsistit, sed propria vox non hebetior auditur, ut Autenrieth et Linke contendunt.

Sed ad momenta, quibus tuba Eustachii saepenumero clauditur, nos nunc vertamus. Clauditur vel vitio partium vicinarum tumore affectarum, vel sui ipsius vitio idiopathico. Ad frequentissimas causas, quibus orificium tubae in pharyngem vergens obtegi et baryecoia nasci solet, tumor tonsillae pertinet. Petit casus complures adnotavit valde perni-

(1) Petit oeuvres posthumus. T. I.

ciosos, ubi tonsillae inflammatione tumefactae initio tubam obturarint auditumque turbarint; postea inflammatione neglecta in suppurationem transgressae pus per parietes tubae in cavum tympani immiserint, ossicula auditus et cavitatem destruxerint et cophosin insanabilem provocarint. Valsalva(1) observavit, polypum narium descendentem orificia tubarum penitus clausisse, et auditum aegroti in dies minuisse. Ulcera syphilitica arcus pharyngo-palatini surditatem produxisse tumefactis marginibus pertinacem, etiam nos vidimus. Obdurationis tubae causae intra ipsam quaerendae sunt, quando tuba affectionibus inflammatoriis et muco sanguineque impletur, et parietibus magis conniventibus, concretis clauditur. Invento et exculto tubae Eustachii catheterismo factum est, ut ars medica in ipsam tubam cavumque tympani affectum agere possit, quae res gravioris est momenti, quum hoc organon ad auditus functiones integras servandas plurimum conferat, morbisque multis laboret, qui auditus functiones turbant.

Quo magis in intimas organi auditus partes, in labyrinthum descendimus et inquirimus, eo difficilius fit causarum ibi latentium diagnosin statuere. Sed negandum non prorsus est, varias or-

(1) De aure humana tract. cap. V. 10.

ganicas causas, si nihil sit praegressum, quod destructionem partium externarum, atque vim dynamicam supponat, hoc tantum in loco ortas abolitionem auditus protulisse. Alienatio aquarum Cotunni, quarum qualitatem bonam maximi momenti esse ad sonos rite excipiendos et in nervum propagandos, ex constructione organi auditus animalium minorum, quibus nihil restat nisi sacculus cum aqua et nervus, concludere possumus, oritur sub inflammatione labyrinthi, aut dyscrasia, praecipue arthritica anomala. Sicuti arthritis in aliis secretis perversitatem reddit, moneo cataractam, item haec fluida, sectione cadaverum exacte instituta, obscura, densa, coloris brunei reperta sunt. Nonnunquam deest aquula in labyrintho, qua deficiente siccitas partium simul oritur. Siccitatem e marasmo totius corporis et ex aliis causis siccantibus provenire judicamus. Quomodo carie ossis petrosi partes intimae deleantur, facile intellectu, et de hac causa restat nobis aliquid dicere, quum de morbis frequenter organon auditus invadentibus gravissimis nonnulla accuratius adjiciamus. — Sed ante de connexu glandulae parotidis cum auditu aliquid commemoratu dignum censemus. Parotis, glandula oris ex ea quidem re, quod ante et sub aurem externam jacet, nomen suum accepit, verumtamen magna in conjunctione cum aure versatur. Affectiones morbosas parotidem occu-

pantes magnam in auditum exserere vim jam ex eo intelligimus; quod cophosis hereditaria in periodis evolutionis posterioribus inflammatione parotidis sanatur. Haud raro surditas cum angina parotidea in morbis exanthematicis, typhosis simul observatur, saepe inflammationes in utroque loco alternant, sic ut per metastasin parotitidem otitis et vice versa parotitis otitidem sequatur.

Morbi auris peculiares sunt: otitis, catarrhus, otorrhoea, abscessus et caries ossis petrosi, qui modo primarii iu hoc organo evolvuntur, modo alius morbi sunt vicarii, modo symptomata alterius modo diathesi modificantur. Otitis externa aut catarrhalis est, aut erysipelatis speciem prae se fert. P. Frank meatus auditorii externi inflammationem semper erysipelatosam esse censuit.

Initio morbi quidem rarius baryecoia apparet, etiam cum susurro et tinnitu oxyecoia majorque sensibilitas adesse solent; sed in decursu exitus faustus, quod pertinet ad integritatem auditus, non semper observatur. Otitidis internae, cum dolore premente, obtuso, urente et pungente intrantis, semper est mutatio auditus symptoma. Ut in oph-

thalmia visus semper turbatus, ita in otitide audiendi facultas impedita est, aut diminuta aut alienata. Interdum aegrotus auditum accusat acutissimum, ut in ophthalmia photophobiam, ita ut voces suppressiores dolores ei commoveant; haud raro surditas perfecta otitidem comitatur. Decursus morborum exanthematicorum turbatus, et proruptio exanthematis impedita aut retrogressa variolarum, morbillorum, scarlatinae, frequentissimae sunt causae otitidis internae. Neque vero raro secundum Astruc(1) venenum syphiliticum ossa temporum eorumque membranas afficit, inflammationem excitat et maxime partem auditus spectatissimam, labyrinthum destruit.

Catarrhus aurium aeque ac nasi, tracheae aliorumque organorum membrana mucosa obtectorum, se habet functionemque turbat. In stadio tertio, imprimis blennorrhoïco, magna copia muci crassi secreti cavitatem auris implet, introitumque ad tympanum et externa via ad membranam tympani, et per tubam Eustachii ad cavum claudit. Catarrhum chronicum relaxatio partium, intumescentia et polypi, de quorum impedimento jam diximus, sequuntur. Otorrhoea autem purulenta, et post exitum otititis in suppurationem orta, et absque signis ma-

(1) Astruc, de morb. syph. 4. 3. otalg. e lue ven.

nifestis praegressae inflammationis, modo profecta ex singulari dyscrasia, potissimum scrophulosa, otorrhoea igitur constitutionalis et otorrhoea symptomatica, suppuratione cerebri vel ejus velaminum producta effluens per meatum auditorium externum, rarius per tubam Eustachii, perniciosam destructionem organi et insanabilem baryecoiam vel cophosin habet sequentem. — Abscessus auris aut est metastaticus aut criticus. Tales suppurationes secundum morbos rheumaticos, exanthematicos, praecipue typhosos, ubi affectum cerebrum symptoma essentiale adparet, propter vicinitatem aurem, et quidem internam frequentant, ibique minoris resistentiae locum causae universalis in corpore versantis quaerunt. Abscessus, qui extra aurem in vicinitate versantur, fistulis, quibus pus in porum acusticum effunditur, auditum plus minusve turbant; abscessus interni simul cum genesi jam baryecoiam symptomaticam producunt, postea organon destruunt auditumque abolent.

Restat, ut de carie ossis petrosi aliquid dicamus. Caries duplici ratione oritur. Vel partes osseae primum morbose afficiuntur, et partes molles ossibus impositae secundario modo in processum exulcerativum ducuntur; vel caries affectionem partium mollium sequitur, earumque exulceratione ossa subjacentia corripiuntur. De primo genere

modo loquamur, quia secundae eventus jam ex supra dictis elucet. Caries peripherica, a superficie ossium temporis prodiens, aut mechanico modo, simulac periosteum vi aliqua destructum est et dyscrasiae specificae sanationem benignam prohibent, oritur; aut dynamico, inflammatione periostei, ut superficiei internae ad cerebrum vergentis, progressa. Caries centralis potissimum secundum dispositionem materiae scrophulosae tunica medullari inflammata et irritata provenit. Effluvio materiae ichorosae, foetidae, decoloratione specilli argentei et particulis osseis cum effluvio ejectis caries dignoscitur. Quum ductus radiorum etiam ossibus non minore ratione perficiatur, jam hoc negotium ossibus cariosis nullo modo apte geri potest. Baryecoia inevitabilis est sequela, nisi decursus terminatur. Et canales diversi, quos labyrinthus constituit, in quibus aquula ad auditum necessaria et quo ipse nervus currit, nonne hi carie destruuntur; non affectio morbosa illam comprehendit auditus partem, cui radii sonori impressionem inferre debeant?

VITA.

In Borussiae orientalis pago ad fines Poloniae jacente, Ostrokollen, ego Julius Ferdinandus Pianka, fidei addictus evangelicae, anno MDCCCXVIII. natus sum patre Sigismundo, sacerdote, matre Carolotta e gente Gregorovii, quibus Dei benevolentia adhuc salvis gaudeo. Anno decimo gymnasium Lyccensem, quod tunc sub auspiciis directoris Rosenheyn florebat, petii, ibique ad vigesimum annum moratus, examine abiturientium rite absoluto et testimonio maturitatis impetrato, universitatis Albertinae Regiomonti civibus a Prorecto celeberrimo Drumann adscriptus et in medicorum album a t. t. Decano spectabili Seerig relatus sum.

Per semestria sex hisce virorum illustrissimorum uti mihi licuit praelectionibus: Cel. Rosenkranz de historia et encyclopaedia philosophica et de logice, metaphysice et psychologia; Cel. Meyer de botanice generali et speciali; Cel. Dulk de chemia experimentali, analytica, de zoochemia, phytochemia et pharmacia; Cel. Moser de physice experimentali et sensuum; Exp. Burow de osteologia; Exp. Burdach jun. de myologia, neurologia, de arte cadavera rite secandi; Exp. Grube de anatomia comparata et zootomia; Ill. Rathke de zoologia, splanchnologia, angiologia; Ill. Burdach sen. de historia medicinae, de physiologia, biologia; Cel. Seerig de fasciis rite applicandis, de chirurgia generali et speciali; Cel. Sachs de methodologia, pathologia, therapia. Clinicum et Policlinicum medicum duce Ill. Sachs, chirurgicum duce Ill. Seerig per semestria duo frequentavi.

Verno tempore anni MDCCCXLI. in universitatem litterarum Fridericam Guilelmam Berolinensem migravi, ibique a Rectore magnifico Lichtenstein in civium academicorum nume-

rum receptus, ab t. t. Decano ordinis medici maxime spectabili Osann in album inscriptus per annum unum celeberrimorum et illustrissimorum virorum scholis eruditus sum. Cel. Wilde me docuit artem obstetriciam theoreticam et practicam, Exp. Isensee morbos cutaneos. Scholis clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis et policlinicis Cel. Truestedt, Ill. Juengken, Ill. Schoenlein, Cel. Romberg interfui.

Quibus omnibus praeceptoribus ornatissimis pro summis in me meritis gratias ago quam maximas.

Tentaminibus nunc, et philosophico et medico, et examine rigoroso absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi medicinae et chirurgiae honores in me conferantur.

THESES.

1. Ad audiendum nervus specificus sufficit solus.
2. Lingua non semper speculum tractus intestinalis invenitur.
3. Tussis convulsiva non est morbus nervosus idiopathicus.
4. Febres liberorum typhosae variis symptomatibus a typhis adultorum discernuntur.
5. Intermittentes in nervis modo gangliis instructis sedent.